



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 76. Novæ artes pro reddenda Placentia incassum adhibitæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](#)

§. LXXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C 1549.

*Nova, sed frustranea molimina pro recuperanda Placentina urbe.*

Interea Synodi negotia haud fuere immutata; equidem Imperator Placentinam urbem, quam occupaverat, veluti validam ad sua vota Pamplam inclinandi illecebram fore censebat: attamen econtra inde Pontificis suspicio plus augebatur, magisque Cæfaris voluntati inserviendi animus decrescebat, adeo, ut Pontifex hac in re nihil decidere vellet. Non deerant suorum fautorum non pauci, qui hanc tergiversationem oriri arbitrabantur ex vehementi desiderio, quo Placentinam urbem recuperare, eamque suæ familiæ sub honestis conditionibus vindicare cupiebat. Ea fuit Montani Cardinalis, aliorumque Præsulum Synodo adhaerentium opinio: Verum illi, qui accusatius Pontificis mentem inspiciebant, longe aliter sentiebant, nec temere divinabant, quod in rebus controversis cunctatio argumentum sit prudentiæ, eaque ad optatum finem eo securius perducat. Hinc Paulus III. hoc negotium maluit ulteriori discussioni relinquere, idque medium supremo Ecclesiæ capiti magis decens, minusque periculosum fo-

*Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Y y re*

Sæcul. XVI re censuit, quam ob rem Julium Urs.  
A.C.1549. num ad Cæsarem ablegavit. Hic vero  
optima spe plenus rediit, totum hoc né-  
gotium feliciter peractum esse ratus.

## §. LXXVII.

*Cæsar de Ecclesiæ juribus in Placen-*  
*tinam urbem edoceri postulans.*

Pallav. n. 2. Enimvero Carolus V. ipsis Papæ Le-  
gatis sagacior Bertrano Fanensi  
Episcopo hæc significari jussit: „Cæsar,  
„ut conscientiæ suæ tranquillitati, ac  
„publicæ famæ consuleret, simulque co-  
„gnosceret, an apto quodam remedio  
„summi Pontificis voto, sine proprii ta-  
„men honoris detimento satisfacere po-  
„set, noscere cupit, quoniam demum ju-  
„re Parmam, & Placentiam Sedes Apo-  
„stolica repeteret. Utebatur Imperator  
hac agendi ratione, ut providus oppor-  
tunam consiliis suis moram adipiscere-  
tur, spe fretus, quod Pontifex, utpo-  
te gravi senio pressus, prius decederet,  
quam hujus litis decisio expectari po-  
set; haud enim, quid rei subesset, ig-  
norabat, cum de Sedis Apostolicæ ju-  
ribus forte melius, quam ipsem et Pon-  
tifex edoctus esset.

Nihilominus Papa comperto Cæsa-  
ris petito responsum reddere cunctaba-  
tur, haud ignarus, *Judicia de jure ditio-*  
*nun*